

germ. fol. 243. b. ubi usum ὁμοσις contra Arianos satis serio defendit. Vide Clariss. Dn. D. Præsidentem in Disp. de vera Deitate Domini nostri Jesu Christi th. 234. sed hæc ἐν παράδω. Progredimur jam ad Personæ vocabulum.

XX.

Cum humanum eloquium magna inopia laboret, ut *Persona.*
Aug. lib. 5. de Trinit. c. 19. censet, magnæ olim fuerunt de vocabulo ὑπόστασις in Ecclesiæ damnnum ac perniciem inter Græcos & Latinos Patres contentiones ortæ. Græca enim vox illa ὑπόστασις vix commodiori quam substantiæ vel substantiæ vocabulo reddi potuisse videtur à Latinis, qui utrumque vocabulum (Substantiam dico & Essentiam) sæpius συνωνύμως accipiunt nec alterum ab altero distinguunt. Nazianz. in orat. 31. in laudem Athanas.

XXI.

Itaque quod Græca Ecclesia confitetur *μίαν ἔσian καὶ τρεῖς ὑποστάσεις* id tùm Latinorum quidam expressuri dixerunt unam essentiam & tres substantias. August. lib. 5. de Trin. c. 8. & Hilar. & Boët lib. de duabus naturis & una persona Christi. Quod ipsum Athanasius intelligens, utramque partem convocavit, & cum videret eos in rebus idem sentire, suasor & autor fuit, ut propter concordiam in modis loquendi etiam convenirent. Nazianz. d. l. Qua laudabili moderatione id tandem effectum est, ut Græci ὑποστάσεις, Latini Personas absque Ecclesiarum offendiculo dicerent. Nam tempore Athanasij primùm vocabulum ὑπόστασις in tali significatione receptum fuit: ut constat ex lib. 6. hist. Tripart. cap. 21.

XXII.

Definitur autem Persona subsistens, individuum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio.

XXIII.

Dico 1. ὑφιστάμενον subsistens E. non 1. accidens aut qualitas. non 2. cogitatio aut decretum. non 3. sonus & evanescens. non 4. motus creatus, contra Antitrinit. 2. Individuum & quidem Hoc. E. 1. revera distinctum proprietate incommunicabili ab alijs. 2. non nuda relatio vel officium contra Sabel-
B lium